



Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. III. Quænam jure Canonico statuta sunt ad moderandas oppositiones, & appellationes, in causis electionis, & provisionis beneficiorum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

ca pravitas non intervenit, ut, si talis intervenit, causa tota (Ecclesie noxia) ad Pontificem referatur: quæ omnia statuit Pontifex in *c. quamvis* 10. *h. t. in 6.* ita ut in eos, qui hæc non observant, certa etiam pœna decernatur, in *c. providè* 44. *h. t. in 6.*

§. III.

Quanam jure Canonico statuta sunt ad moderandas oppositiones, & appellationes, in causis electionis, & provisionis beneficiorum?

Quæ tam hoc, quam sequentibus duobus §§. ab auctore Methodi dicuntur, rectius apud ipsam Auctorem videri possunt (cum horum §§. materia locum ferè tantum habeat in causa appellationis ad Papam, & consequenter rarè praxis sit, ac ex decisione Pontificum, in pluribus *co. h. t. in 6.* tradita, dependeat, quæ per brevem & succinctam Doctrinam insinuari non possunt) legatur *c. 1. 4. 11. 19. 20. 38. & 41. h. t. in 6. & Clement. 4. eod.*

SECTIO VII.

De potestate, confirmatione, & consecratione Electi.

§. I.

An, & quando potestas jurisdictionis, seu administrationis Episcopo electo competat?

Quod Episcopus vel Prælati electus ante impetratam confirmationem non habeat potestatem jurisdictionis, aut administrationis, nec in rebus, aut juribus spiritualibus, nec in temporalibus ex

c. nisi 9. *h. t.* patet (ut ne inanis ferè sit confirmatio, si ante hanc omnis jurisdictionis, aut administratio in actu secundo Electo competat) ita ut, si ante confirmationem obtentam administrationi rerum Ecclesie se ultro immisceat, ejus electio in pœnam non tantum cassari debeat, ut ait Pontifex, in *c. qualiter* 17. *h. t.* neque hoc ipsi liceat sub tit. Oeconomi, aut Procuratoris, &c. uti constat ex *c. araritia* 5. *h. t. in 6.* & quamvis Capitulum, penes quod est administratio, sede vacante, possit alicui velut Oeconomo, aut vicario committere administrationem non tamè potest eam committere electo, ne fraus fiat huic constitutioni: quin ex *Extravag. 1. h. t. inter com.* etiam statuit Pontifex, ut nullus Episcopus, aut superior Prælati, nullus Abbas, aut cujusvis ordinis Præpositus, qui apud sedem Apostolicam promovendus, confirmandus, aut consecrandus, aut benedicendus est, administrationem temerariè præsumptione suscipiat, nisi litteras Apostolicas promotionem ejus, vel confirmationem, &c. continentem, obtinuerit, easque Capitulo ostenderit, seu præsentaverit.

§. II.

Quanam Episcopi seu Prælati administrare possint Prælaturam, etiam ante obtentam confirmationem?

Quæ in priore §. negatur administratio cuius electo Episcopo ante obtentam confirmationem, aut suæ provisionis litteras, hæc in *c. nihil* 44. §. *ceterum* *h. t.* conceditur immediatè Pontifici subjectis Prælati, & tamen valdè à Curia Pontificis remotis; qui extra Italiam